

B. 191.

PRORECTOR
ET
SENATVS
ACADEMIAE CHRISTIANO-ALBERTINAE
MEMORIAM
VIRI AMPLISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI DOCTISSIMI
FRIDERICI KOSII
MATHEMATVM IN HAC ACADEMIA PER DIMIDIVM
FERE SECVLIS SPATIVM P. P. O.
VENERANDI ACADEMIAE SENIORIS,
DE PATRIA, ACADEMIA, ET OMNI RE LITTERARIA
IMMORTALITER MERITI,
S V M M I V I R I ,
C I V I B V S S V I S
DILIGENTISSIME COMMENDANT.

K I L O N I I
LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

PROLEGATOR
THE
SBRINATAS
ACADEMIAE CHRISTIANO-AGRICULTORINE
LEIBNITII Epist. ad diuersos.
ed. CHRIST. KORTHOLTI
T. 1. Ep. CCVI. n. 3.

Hactenus Dominum coesivm ignoraui, sed meretur
profecto non ignorari. Videtur enim profundius
solito in nouam Analyzin inspexisse, et credo, si huc in-
tendat animum, posse ab ipso conferri aliquid ad augen-
dam scientiam. Itaque plura de eo nosse gratum erit.



ultarum earumque variarum cupiditatem quibus hominum animi continuo mouentur, nescimus, CIVES CARISSIMI, an vlla fortior sit ardentissimo vitae ad summum usque, quem humana natura attingere potest, scopum perducenda desiderio. Neque vulgi solum et imperitae plebis hic ardor est, sed sapientissimorum etiam hominum quovis tempore fuisse obseruatur. THEOPHRASTVM ERESIVM quis ignorat sollertissimi naturae scrutatoris, morumque censoris acutissimi vtroque nomine clarum, et omni posteritati commendatissimum? Is licet tam decrepitus fuerit, ut lectica circumferretur, et, quod raro hominibus accidit,

A 2 annum

annum LXXXV viuendo attigerit, (*) moriens tamen, (quod CICERO narrat) (**) naturam accusasse dicitur, quod cervus et cornicibus vitam diuturnam quorum id nihil intererset: hominibus quorum maxime id interfuerit tam exiguum vitam dedisset: quorum si actas potuisset esse longinquior futurum fuisse ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se cum, cum illa videre coepisset, extingui. Habuit autem THEOPHRASTVS, et adhuc habet, quam plurimos, in hac de nimia vitae humanae breuitate querela consentientes, cum, quotidiana experientia teste, aetate proiecti et senes non minus quam iuvenes, curis laboribus et aerumnis oppressi pariter ac quouis felicitatis genere frumentos, longiorem imo longissimam vitam saepissime exoptent. Atqui ardentissima haec viuendi cupido naturae hominum ortum deberet, quibus id cum brutis commune, est ut, instinctu naturae incitati, ament viuere, mori recusent. Verum qui ratione insignem sibi prae quouis animaliū genere praefstantiam vindicant homines, non suauis solum vitae sensu, sed argumentis etiam commoti, ex eo, quod bonum et optabile ipsa ratio humana ostendit, deducuntis, vitae longaeuitatem saepius efflagitant. Sed hi erunt fere, qui, paullulum ultra vulgus sapientes, non tam sensuum

(*) Ad centesimum septimum usque vixisse quidam narrant auctoritate decepti Hieronymi, obiter hac referentis, adeoque testis non satis idonei, pariter ac verbis male cohaerentibus cum reliquis in praef. Charact. Theophrasti glossema referentibus quod postea in textum irrepsit. Laertio itaque fides habenda est, praesertim cum grandaeuos sollicite recensentes Lucianus et Censorinus de Theophrasto taceant. Cf. Heumann, Act. Phil. T. III. p. 678.

(**) Tusc. Q. L. III.

suum iudicio, quam rationis decreto verum vitae pretium
 statuunt. Horum scilicet ea mens est, omnia a summo
 Numine hanc ob causam condita esse, vt tanta efficiatur
 vniuersi perfectio quanta esse aut fieri vnuquam potest. Vi-
 tam igitur hominibus eum solummodo in finem datam esse
 norunt vt meritis, vt virtute, vt rerum gestarum gloria,
 testentur haud frustra se vixisse, eamque vitam degisse,
 quam sapientem quemlibet et probum degere oportet.
 Itaque omnis vita in agendo consistit, atque qui nihil pla-
 ne egerunt, nulloque prorsus opere praestantes fuerunt
 vix ac ne vix quidem vixisse censeri possunt. Qui vero
 nequitia et scelere insignes existiterunt, hi vitam egisse recte
 putantur non humanam sed belluina peiorem, quum bel-
 luarum ea fere agendi ratio sit, vt nisi vel inimica vi, vel
 necessitate coacti, quemquam laedere haudquam soleant.
 Quae omnia si recte se habent, (rectissime autem se habere
 confitendum est) vitae longitudo non ex duratione, sed ex
 bene factis metienda est, adeo vt eo diuturnior censeatur
 quo melius de genere humano meriti, eo brevior, quo mi-
 nus virtute et factis praeclaris insignes existimandi sunt
 mortales. Ergo qui iuuenili aetate naturae debitum solu-
 unt, virorum imo senum aetatem vel aequasse vel superasse
 recte dicuntur, dummodo ingentibus beneficiis in societa-
 tem hominum collatis illustres fuerunt omniq[ue] aevo vene-
 randi. Qui vero decrepiti diem supremum obeunt, in
 pueritia obire putandi sunt, si tanto annorum numero bo-
 narum actionum multitudo non respondet. Sic terminum
 vitae quem natura constituit, tam pretendere licet quam
 adstringere. Sic vita diurna non solis fati legibus, ve-

rum nostra nobis voluntate datur. Imo sic in omne aeuum vitam producere possumus, quando egregiis genus humānum beneficiis mactamus, ita vt his ipsis post fata superstites simus. Quousque enim id perdurat quod vitam nostram efficit et constituit, eousque etiam ipsa vita nostra perduret necesse est. Quapropter qui vel fortunis in publica commoda collatis, vel consilio, vel institutione, vel scriptis, vel exemplo et vitae sanctimonia de aliis optime meriti fuerunt viuentes, hi, licet dudum compositi, adhuc tamen viuunt. Namque actiones vitam continent, et, quum durantibus illarum effectis durent, vitae etiam perpetuam durationem largiuntur.

Exemplum vobis CIVES CARISSIMI iam exhibemus Viri, quoquaque sensu vita hominum diuturna dicatur, grandaeui, memoriam Vobis commendantes Viri Amplissimi, excellentissimi, doctissimi, FRIDERICI KOSII, Mathematum Professoris Publici Ordinarii per dimidium fere seculi spatium, prout de omni re litteraria, ita et de Academia immortaliter meriti, Venerandi Acedemiae Senioris. Is certe, si quis vnquam, tot tantisque studiis scientiis et virtuti operam nauavit, vt, si vitae durationem ex meritis metiri velitis, vel hanc ob caussam maxime grandaeuum eum vocare debeatis. Quod vero eo magis confitendum est cum ipsa vita eius naturalis, ad ultimum usque vitae humanae terminum prope producta sit, adeoque, quo magis naturali longitudine conspicua est, eo magis illustrium meritorum copia ab eodem exornari potuerit. Quapropter elegans illud MARTIALIS effatum, quo

M A R C U M

MARCVM ANTONIVM felicem praedicauit, ad nostrum
praecipue applicandum esse censemus:

Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est

Vivere bis, vita posse priore frui.

Dolenda igitur est mors viri optimi, et licet senio confe-
ctus obierit, bonorum tamen omnium suffragiis desidera-
tissimi. Dolendus est eius ex vita excessus, et licet in ul-
tima senectute contigerit, tamen adhuc dolendus est, cum
nihil magis exoptandum sit quam vita virorum de genere
humano optime meritorum. Verum, quae probitate
quaeritur gloriam, quae virtute et doctrina immortalitatem,
eam nostro etiam contigisse negandum non est. Hoc Vo-
bis CIVES CARISSIMI quorum plurimis saltim B. Virum
nosse, praesentemque intueri contigit, satis perspectum sit
oportet. Atque hoc dubium videri potest nemini qui in-
genium, doctrinam, mores, Viri praestantissimi nouit.
Quare neque iis qui B. KOSIVM e propinquuo cognoverunt,
neque qui ex scriptis eius eruditionis tantum aliquam noti-
tiam hauserunt, iniucundum fore arbitramur, delineatam,
in hac velut tabula, ingenii, animi, vitaeque imaginem in-
tueri. Vos autem, CIVES CARISSIMI, quando videtis
quomodo natus, educatus, institutus sit, quae scientia,
quae vel cogitandi vel dicendi, vel denique agendi ratio
fuerit, hoc agite, ut optimum quod vobis proponimus
exemplum normam quasi et mensuram habeatis ad quam
vos exigentes quid vobis desit, quid quantumque agendum,
persequendum, conficiendum restet intelligatis.

Patriam habuit Sleswicum, natus in vrbe ista anno su-
perioris seculi LXXXIV, eodem quo LEIBNITIUS prima
inuenti

inuenti calculi differentialis specimina prodire iussit, die IX Iulii. Patre vſus est PETRO KOSIO Serenissimi Holsatiae Ducis ab epistolis et praefecturae Kilonensis pariter ac veſtigalium administratore, viro qui per peregrinandi opportunitatem vberimos fructus cepit, atque Principis gratia & aulae procerum fauore dignus habitus est. Matre MARGARETHA, filia HARMENI HARMENS, Mercatoris Meldorfensis spe&tatissimi. Memoria dignum est ipsa prima Viri natalia ea fuisse quae aliquid singulare continent. Etenim ipso eo quo in hanc lucem editus est tempore, parens eius custodia tenebatur iuſſu Danorum Sleswici, non criminis cuiusdam cauſa, sed ob praecepta Serenissimi Principis contra Danorum voluntatem summa fide summaque diligentia obſeruata, capit is propterea anquisitus. Quantus autem parentibus hinc natus sit dolor domesticus, facile intelligunt qui triste illud fatum primo matrimonii anno et matre ultimo iam mense vterum ferente, configitſe perpendunt. Verum ea erat optimae vxoris erga maritum fides, vt nulli parceret labori quem ad liberandum carissimum maritum conducere iudicabat. Effecit tandem precibus aulae Hafniensi oblatis vt praeterlapsis VI hebdomadibus, & paulo post partum editum maritus libertati restitueretur. B. Parenſ primum genitum hunc filium DEO liberatori ſuo voti ſponsione dicauit, eumque huius rei cauſa theologie potiſſimum studio iam tum destinauit. Salutari lauacro primis Christianorum facris initiatus est in ecclesia Cathedrali Slesuicensi, atque FRIDERICI nomen cepit ex Serenissimo tum Principe iuventutis poſtea Duce Sleswici Holsatiae regnante FRIDERICO IV. Primas tam religionis Christianorum, quam lingua-

linguarum et scientiarum lineas didicit praceptoribus
 Scholae Kilonensis Cantore NEANDRO et Restore KOH-
 LIO, felicissimo euentu. Probavit autem ingenium, in-
 dustriam, eruditionem non praceptoribus solum, verum
 etiam Academiae Professoribus. Cum enim Anno
 MDCXCIX B. BVRCHARDVS HENRICVS MAIVS Eloqu.
 P. P. O. examine instituto quid valeant humeri quid fer-
 re recusent explorasset, dignus habitus est qui Decano ordinis
 Philosophorum Nicolao Müllero, sollempni, quod mos sae-
 culi ita tulit, initiationis ritu, litterarum studiis dicari posset.
 Imo illo ipso tempore quod aliquin discendo tantum desti-
 natum est, noster, qui ingenio haud vulgari vtebatur, alios
 docere incepit. Testantur hoc litterae quae exstant d o-
 MINICI BRAND ecclesiæ apud Arroënses in Riso Sacerdo-
 tis, datae MDCCII d. XIX Mensis Augusti, quibus teneri-
 mas nostro gratias agit, quod filium ipsius, in Schola Kilo-
 nensi litteris operam nauantem, hebraicam linguam do-
 ceret. Ad quas quidem litteras nostri etiam exstat
 responsio quae, cum non castae solum et tersae latinitatis,
 sed modestiæ etiam, rarae admodum iuuenili aetate virtu-
 tis, imo probitatis et optimæ animi indolis specimen sit,
 verba eius vobis CIVES CARISSIMI exhibemus quae se-
 quuntur. Postea quam gaudium suum de probatis Viro
 operis ipsius restatus est, vellem equidem inquit quantum in me
 est studii et voluntatis, tantum esset et facultatis ac virium; tibique
 vel commodi, vel etiam voluptatis quicquam afferre possem: nac-
 tu intelligeres magis, quo animo quamque singulari in te et tuos
 omnes esse obseruantia. Nunc qua sim actate, quamque parum
 in me firmamenti habeam, intelligis opinor etiam me tacente. In-
 terim

serim gratiarum actione illa, qua me nil tale meritum prosecutus es, tametsi nihil mibi iamdudnm fuit iucundius: tamen eam non desiderabat modestia mea. Etenim quicquid huius feci, cum mei ipsius exercendi causa, quod alium docens se ipsum instruit: tum ipsi pueri moribus ac probitate, quam Praeceptoris meo probari intellecteram, adductus feci. Ac mibi quidem nihil potius est aut esse debet, quam probis et eruditis viris, id est, tui similibus operam nauare: eamque ob causam, quicquid in me est ingenii aut facultatis (quod tamen sentio quam sit exiguum) quantumcumque est Dei certe solius beneficio tribuendum, illud cum omnibus bonis, tum imprimis tibi, Fautor honoratissime, dicatum consecratumque habeo. Quare de me ita plane existimes velim, me, quanquam videam qui sim hoc tempore, et quid valeam; opera tamen, quoad possum, studio certe tibi tuoque Filio, nunquam non praefabo esse futurum.

Tam bene praeparatus, omniq[ue] notitia scholastica optime imbutus, ad altiora progredi poruit. Quapropter Anno MDCCIII d. III Ianuarii, Academiae patriae nomen suum dedit, quod Pro-Rector Magnifico GUILIELMO HVLDERICO WALDSCHMIDT Med. D. et P. P. O. albo ci-vium academicorum inscriptum est. Ornabant illo tempore Academiam viri in quoouis scientiarum genere summi, famaque etiam inter exterios clari OPITII, SCHELHAMERI, REYHERI, MAII, PASCHII aliique multi quorum vel ab ore pependit, vel alia saltim ratione ex vberimis his doctrinae fontibus haurire studuit. Maxime autem forsitan omnium, pro eo qui ipsi erat matheſeos amore, REYHERVS illi placuit mathemata tradens, quem tanto studio audiuit, ut maximos inde fructus ceperit, et singuliari

lari prorsus eius fauore et amicitia usus sit. Neque
 tamen hoc, quo mathemata prosequi solebat, studium im-
 pediuit quominus et reliquarum litterarum studiis operam
 impenderet indefessam, quod vel ex oratione satis intelli-
 gitur quam habuit natali Regii et Celsissimi Principis CA-
 ROLI FRIDERICI, DUCIS regnantis Sleswici Holsatiae.
 Germanica in hac vtebatur lingua, eiusque, quae illo tem-
 pore parum exculta erat, specimen exhibuit, quod eo ma-
 gis admirandum est, quo magis exemplis quae ad imitan-
 dum sibi proponere potuissest destitutus fuit. Peractis in
 Academia patria integris quatuor annis, atque initiosis diui-
 nae humanaeque sapientiae, pariter ac elegantiorum littera-
 rum, imo linguarum occidentalium, praecipue gallicae,
 feliciter positis ad Helmstadienses profectus est, vna cum
 fratre IOHANNE CHRISTOPHORO, d. VIII Aprilis Anni
 MDCCVII. In illustri hac musarum sede quae bene in al-
 ma Christiano-Albertina incepérat optime continuare stu-
 duit, et philosophicis, et theologicis, et mathematicis studiis,
 operam nauans assiduam. Praecipue ut praeeminentibus, in
 Metaphysica NIMEIERO, in Theologia Abbe SCHMIDT,
 Viris doctissimis, omnem harum scientiarum ambitum pe-
 ragrare sibi liceret, eum quam maxime curasse, ex litteris
 ad B. Parentem datis, gallico sermone eleganti stilo conscri-
 ptis, intelligitur. Ibidem STVRMI Mathesin enucleatam
 perlegens, omnem rem mathematicam, non sine insigni
 fructu et voluptate, accuratius intelligere conatus est. An-
 no sequente d. XXIII Aprilis Helmstadio Halam Magdebur-
 gicam profectus est, vbi fratrem reliquit, iurisprudentiam
 excolentem. Ipse posteaquam hanc Academiam inuiserat,

B 2 consen-

consentiente Patre ad Lipsienses accessit. Celebre hoc litterarum emporium perquam illi placuit, neque minus ob doctorum celeberrimorum, quos ibidem se inuenisse gaudebat, multitudinem, quam ob ipsius urbis pulchritudinem et amoenitatem. Quicquid itaque sibi in illa Academia profuturum iudicavit, hoc omne in usus suos conuertere studuit. Theologiae a Patre destinatus, de habitu etiam sibi acquirendo in recitandis sacris sermonibus sollicitus fuit, atque huius rei cauſa illis se adscribi passus est qui, duce SCHVVTZIO, verbi diuini apud Lipsienses ministro, artem in concione e sacro suggestu verba faciendi exercebant. Attamen haec studia theologica non impedire potuerunt, quominus et mathemata, quae tantopere deperebat, acri studio persequeretur. Atque quum eo tempore CHRISTIANVS WOLFIVS, Vir Celeberrimus, quem Mathesin docentem Halae viderat, huius praecipue disciplinae gloria prae plurimis reliquis qui in Academiis erant doctoribus emineret, vel hanc augendi eam, quam sibi acquisuerat, matheſeos notitiam, occasionem haud praetermittendam esse iudicavit. Quicquid enim cum auditoribus communicare solebat, WOLFIVS, quod sibi utile videbatur B. KOSIVS, huius exemplum Lipsiam sibi mitti curauit. Atque ita WOLFII discipulum se fuisse confessus est, cuius eruditionem et scripta mathematica, latina praecipue, magni fecit, licet Germaniae ARCHIMEDEM, quod nonnulli facere solent, WOLFIVM appellandum non esse putarit. Data opera hoc eius de WOLFIO iudicium exhibemus, vt constet, Nostrum non contempsisse, quod nonnulli putarunt, optimum virum, quem totius Germaniae praceptorē recte dixeris, verum pro summa quae ipsi erat aequitate, et

et absque omni partium studio de eo iudicasse. Et quidni illi calculum lubenter adiiciamus, cum EVCLIDES potius quam ARCHIMEDES Germaniae WOLFIUS vocandus esse videatur? Quicquid enim commodi opera EVCLIDES in omnem Mathefin redundauit, id in sublimiorem eius partem, quae recentiori aevo maxime exculta est, duce et auspice WOLFIO redundasse fatendum est. Hinc factum ut, cum superiori seculo rarum admodum fuerit Mathematici phaenomenon, nostris temporibus nihil fere frequentius occurrat. Scilicet illa Viri summa et maxima laus est, ut, pro infinito, quo flagrabat, hominibus inferuendi studio, abditos atque abstrusos mathefeos, sublimioris praecipue, recessus recluserit, atque viam ad intima eius adyta penetrandi facillimam reddiderit. Id quod fieri plane non potuisset nisi WOLFIUS insigni praeditus fuisset mathefeos notitia, ipsaque multarum in eadem inuentarum rerum gloria clarus. Sed ad B. KOSIVM redeundum est. Is anno circiter Lipsiae exacto, collectis ibidem praestantissimis doctrinae thesauris, de augenda inter exterros, quam in Germania incepérat, bonarum omnium artium et literarum notitia, cogitauit. Igitur relicta Lipsia ad Belgas, atque perlustratis hisce regionibus, d. XXI Septembris MDCCIX Helvoetschluisae nauim conscendens in Britanniam profectus est, ad Harwicum appellens hora post meridiem secunda. Hinc die XXIII Septembris Londinum profectus, sequenti statim die mane ad Thameſin fluuium, et circa Vesperam ad ipsam vrbum peruenit. Regia haec vrbs illi, non tam ob praestantiam aedificiorum, aut splendorem quem aula et tanta hominum diuitum et illustrium multitudo illi

conciliare possunt, sed eo praeципue nomine placuit, quoniam ibi quilibet ea qua cupit ratione vitam degere potest, pariter ac ob insignem hominum in omni vitae artium et scientiarum genere versatissimorum copiam. Plurimum ibi temporis impendit Collegium frequentans Philosophicum et bibliotheca publica vrens Collegii Sionis. Praeterea, linguae Anglicae descendae causa, precibus interfuit quas, in templis quibusdam, bis quotidie ad DEVVM mittere solent Londinenses. Haud enim se dolere, B. Parenti scripsit, neglectam antea huius linguae curam, cum corrupta quam ab exteris magistris accepissent pronunciatio germani homines, omnem interdum adhibitam diligentiam inutilem reddere soleat, ita ut illis felicius succedat qui ab ipsis Britannis elocutionem et verum linguae genium accipere conantur. Hac autem melius cognita et perspecta, et inuisis quibusdam ritibus sollemnibus qui forte eo tempore contigerunt, Oxonium petiit, d. XXXI Octobris, et circa vesperam sequentis diei aduenit. Initio haec mora Oxoniensis illi parum utilis videbatur, cum lectiones et disputationes publicas raro admodum institui intelligeret, atque priuaram institutionem Professorum Oxoniensium aegre, et non nisi precibus multis, multisque impensis obtinendam. Postea autem aliud expertus. Ex consuetudine enim et familiaritate quam nactus erat doctissimorum virorum, arque ex praefantissima Bibliotheca Academiae publica, quae Bodleiana nomine eruditis nota est, fructuum numerum satis amplum colligere illi datum erat. Interim ramen haud multum sibi temporis ibidem exigendum ratus, alteram quoque Britanniae Academiam inuisuro, Oxonio
Londi.

Londinum reuersus d. XXVII Decembris, atque hinc Cantabrigiam profectus d. II. Ianuarii MDCCX, sequenti statim die in ipsam hanc ciuitatem delatus. In hac etiam litterata vrbe nihil eorum in se desiderari passus est, quae quomodo docunq[ue] vtilia esse potuerunt. Cantabrigia demum iterum Londinum rediit d. XXIV Februarii Anni MDCCX. Iam per Batauos in patriam reuerti apud animum constituerat. Sed turbida belli, quae tum quidem erant, tempora, consilium mutare coegerunt. Quae enim alioquin peregrinis facillimam ex Anglia in Belgium traiiciendi occasionem praebent naues tabellariae, nunc omnes fere militibus transportandis adhibebantur, quo facto Noster aegre admodum permissionem obtinuit data hac occasione ad Batauos redeundi. Attamen hac mora interiecta optime vtebatur. Praeterquam enim quod ipsam Reginae Maiestatem et vtriusque supremi Senatus Regni Concilium coram intueri, aliaque multa exterorum notitia satis digna nosse potuerit, optimam etiam, tam vsu bibliothecarum, quam doctorum virorum sermonibus, noua quotidie scientiarum incrementa capiendi occasionem habuit. Atque quod eruditorum, Matheseos praecipue gloria celebratissimorum, consuetudinem attinet, vtilissime exactum est omne quod in Britannia transagit tempus. Praeter ISAACVM NEWTONVM, quem tamen infinita studiorum copia obrutum rarius videre contigit, consuetudine vsus est multorum nominatim FLAMSTEDII, HALLEII, WHISTONI, COTESII. Quorum quidem omnium studia licet illi satis magna creauerint emolumenta, et insigniter auctam praecipue effecerint nobilissimae siderum scientiae notitiam, ita ut omnium

omnium et singulorum grata mente recordatus sit, neminem tamen horum melius de se meritum esse dicere solebat quam EDMUNDVM HALLEIVM, cuius praeter doctrinam eruditis satis cognitam, insignem etiam praedicare solebat humanitatem, miramque comitatem. Huius autem Viri amicitia quantum commodi nostro attulerit, quilibet facile intelligit qui, vel summam HALLEII summi Viri scientiam, vel quae huic cum NEWTONO intercessit intimam amicitiam considerat, adeoque huius interuentu ipsa NEWTONI studia in Nostrum redundare potuisse perpendit. Imperata tandem venia navi in Belgium vectus est, et haud multo post alterum in his regionibus aduentum Lugdunum Batauorum se contulit. Utilessime, aliter enim non poterat, ibidem exacto aliquo tempore ad patrios lares reuerti constituit. Licet enim studio Parentis occasio oblata esset in Galliam iter faciendi, ipsamque adeundi regiam, Lutetias Parisiorum, maluit tamen, insignem haec tenus partam doctrinae copiam quodammodo in usus transferre, atque simul viam sibi ad meliorem atque stabiliorem fortunam pandere, quam diutius inter exterios versari. Quod consilium cum B. Parente communicauit litteris datis Lugduni Batauorum d. XIX Aprilis Anni MDCCX. Scribit enim non tantam esse quam ex gallico itinere sperare posset utilitatem, ut eius desiderio magnopere flagraret. Optare se potius ut institutioni admoueatitur iuuenis cuiusdam generosi, vel alterius cuiusdam honesto loco nati studiis moderandis praeficiatur, quo facto et in coepro studiorum cursu ipse pergere, et occasionem melioris fortunae aliquando obtinendae tranquillus exspectare posset. Quamuis autem hoc in Holstia obtinere posset, praferendum tamen sibi videri

deri, tam Holsatricis quam aliis multis vrbibus Berolinum, et quod eruditis abundaret in omni doctrinae genere versatissimis, et quod praestantissimae Bibliothecae regiae v fus, sibi et omnibus qui litterum studiis diditi erant, pateret. Hoc ultimum quidem sibi iam maioris momenti esse, quam si omnium in quauis Academia Professorum institutione in posterum frui liceret. Esse praeterea hanc vrbem eam quae amplissima saepe et laura admodum munera praeberet tam publica quam priuata. Multa denique eaque prorsus eximia de commodis Berolini obtinendis se iam percepisse ex litterarum studiosis quibusdam Berolinensibus, quos Lipsiae olim nosse sibi contigisset. Addit tamen his omnibus, Patrem, quem timere animadueret ut studiis forsan theologicis nuncium mitteret, tutum hac de re esse posse. Quanquam enim eo non sit animo ut oblatam aliquam occasionem philosophicis aut mathematicis studiis lucrum aliquod captandi, aut commodum vitae genus obtinendi recusat, nihil tamen fecius theologiam se nunquam deserturum, qui quas nominauimus scientias ab ea non solum non sciret abhorrire, verum eidem optime respondere. Quapropter aut sub exitum Aprilis aut sub initium Maii, vii ex litteris B. SAMVELIS REYHERI pater ad nostrum datis d. X Aprilis MDCCX, Berolinum se contulit, Patre quidem redditum in patriam exoptante, hunc tamen Berolinensem secessum haud penitus improbante. Iucunda prorsus erat eius de primo hoc aduentu Berolinensi narratio. Hic enim sibi idem illud contigisse narrabat quod ARISTIPPO contigisse narrant, qui cum naufragio ignotum in littus deieatus, geometricas figurae arenae inscriptus cerneret, focios

cios bono animo esse iussit, *vestigia enim*, inquit, *hominum vi-*
deo. Namque cum nemini cognitus, nullius amici com-
 mendatione, nullius viri vel auctoritate vel dignitate po-
 tentis fauore sustentatus esset, ad Bibliothecam augustam
 aecessit, cuius aditus statim quoouis die temporibus omnibus
 patebat. Hic statim in limine subsistit, obseruatus primum
 a SEN NINGIO, quodam ex Bibliothecariis, quem comiter
 eum salutantem interrogat: num recte se habeant, quae ex-
 rumore percepérat, licere cuique eruditio vti libris in pra-
 stantissima hac Bibliotheca obuiis? Quod cum is affirmaret
 atque simul indices librorum exhiberet, vt quicquid cupe-
 ret ipse requirere posset, hoc et sequentibus diebus ma-
 thematicos libros varios postulauit, iisque legendis pariter
 ac notatu dignis excerptis tempus utiliter fallere studuit.
 Atque hic quidem bono animo se fuisse aiebat, vestigia ho-
 minum videns. Neque haec spes eum defellit. Hoc ipsum
 enim effecit vt mox CROSAEO, Viro doctissimo, aliquique
 multis eruditorum Berolinensem, qui vbinam habitaret,
 quisnam esset, sollicite et clanculum, ipso nimirum inscio,
 exquirerent, innotuerit, imo summorum et principum vi-
 rorum, qui saepius in Bibliotheca conuenire solebant, gra-
 tiā consecutus sit. Tanta semper voluptate moram hanc
 Berolinensem in memoriam reuocabat vt lubentissime cum
 amicis de eadem differeret. Cuius quidem sat graues illi-
 erant rationes, cum non praesentem solum conditionem
 optimam ibidem inuenisseret, verum etiam lautoris vitae
 generis postea obtinendi spes multa exstaret. Inprimis
 autem singulari fauore et amicitia dignum eum putauit,
 MATHVRINVS WEISSIERIVS LA CROZE, Vir celebri-
 mus

mus. Is et de rebus eruditis saepius cum illo locutus, et
 data quavis occasione suum illi inserviendi studium testatus
 est. Hinc factum est ut, cuius pudor aut modestia vix
 ferre videbantur ut sautores et amicos aliquid rogaret. B.
 KOSIVS, optimi huius Viri, qui debitum meritis pretium
 statuere solitus erat, opera, omnia consecutus sit, quae
 tum quidem desiderabat. Contigit autem forte ut inter
 sermocinandum Noster versum quendam ex HOMERO
 recitaret. Quo facto miratus admodum CROSAEV^S
 germanicum hominem graece doctum esse. Cui
 quidem, licet noster exempla Germanorum graeca-
 rum litterarum notitia insignium atque celebrium, often-
 derit, rarius tamen hoc occurrere visum est. Erat au-
 tem hoc ipsum colloquium nostro admodum utile. Nam
 qui graecam hanc eius eruditionem ita nouerat CROSAEV^S
 is nostro statim obtulit institutionem iuuenis Galli, grae-
 cis litteris imbuendi, pro qua opera insigne illi stipen-
 dium numerandum esset. Accepit eam, quae sua sponte
 se illi obtulerat, conditionem eo libentius quo magis votis
 ipsius respondebat, eoque munere maxima cum voluptate
 functus est, quum is illi contigisset iuuenis instituendus,
 quem et ingenii praestantia, et optima animi indoles ama-
 bilem redderent. Erat hic PAVLVS AEMILIVS DE MAV-
 CLERE, qui postea sacrorum ecclesiae reformatae quae Pa-
 laeo-Sterini est Minister fuit, atque deinceps Bibliothecae

germanicae, gallico sermone conscriptae, curam suam atque operam praecipue impendit. Is, quod ex litteris eius ad B. KOSIVM, quarum quam plurimae exstant, appetet, grata mente semper agnouit Nostris institutionem, intimamque cum eodem semper coluit amicitiam, et saepius cum eodem de rebus eruditis, non ad Philosophiam solum et rem litterariam in genere, sed ad ipsam etiam theologiam spe-
ctantibus, consilia sua communicauit. Sic B. KOSIVS qui Berolinum adierat absque ullius commendatione, ipse fortunae suae faber erat, egregio prorsus exemplo quid scientia quid virtus valeant, quae non ea solum, quae ipsis necessario nexu adhaeret, summa voluptate sapientis animum replet, sed quarum ope vel inter peregrinos homines honestam vitam degere datur. Sic Parentem, quod datis ad eundem litteris fecit, certiore reddere poterat de inuenientis omnibus quae ad vitam sustentandam necessaria iudicabat, ita ut qui haec paterna eiusdem cura sustentatus esset, nunc sui ipsius studiis necessaria omnia sibi comparare posset. Attamen non sola haec erant quae nostrum Berolini manebant commoda. Verum mox amicitiam naestus IOHANNIS HENRICI HOFFMANNI, Astronomi Regii, cui postea etiam a REYHERO commendatus est, cum eodem in obseruatorio regio siderum obseruationibus vacauit, pactusque cum societate scientiarum Borussica, anno MDCCXII publico illius nomine Ephemeris motuum coelestium ex tabulis Rudolphinis supputatam exhibuit. Accepto itaque stipendio a Societate scientiarum, et habitacione, in aedibus siderum contemplationi destinatis, sibi concessa, salario praeterea manente quod pro grata illi institutio-

tione iuuenis ingenui soluebatur, nihil fere amplius sibi defiderandum putabat, praesertim cum his omnibus consuetudo et familiaritas doctorum virorum accederet, quos quam plurimos ibidem nosse illi contigit, et in his sumnum praecipue GEORGIVM GVLIELMV M LEIBNITIV M. Saepius cum Leibnitio versatus non solum Viri ingenium, doctrinam, acumen, infinitam eruditio[n]em admiratus est, sed magis summam admiratus est quae LEIBNITIO erat virtutem, et quam, quanta quanta fuerit scientia LEIBNITII, eadem tamen longe excellentiorem fuisse contendit. LEIBNITIVS autem quam honorifice de nostro senserit cum ex Epist. (*) ad B. SEB. KORTHOLTVM, tum ex variis aliis testimoniorum constat. Multis praeterea aliis eruditorum Berolinensium noster gratissimus fuit, isque visus est cuius studia varia ratione illis utilia esse possent, quorsum opera sua spectat quam l'Enfantio in conuertendo cuiusdam auctoris Angli sermone in latinum, praebuit. Maxime itaque praesens eius conditio votis ipsius respondit, ita ut haud quaquam Berolino discessisset, nisi tam Patris voluntas, quam spes, quae vltro sese illi obtulerat, in patria obtinendi munus quo sibi aliquis prodesse posset, eum hinc euocassent. Tantus enim erat Parentis erga Filium amor, ut nihil magis exoptaret, quam praesentem illum intueri, eiusque studiis proprius recreari. Quamobrem cum, siue Parentis ipsius precibus adductus, siue proprio animi motu incitatus, Reuerendissimus et Serenissimus Lubecensium Episcopus CHRISTIANVS AVGUSTVS, Regii atque Celsissimi

C 3

(*) Ep. ad Diuers. edit. a Christ. Kortholto T. I. Ep. CCVI. locus quem in limine citauimus.

fissimi Principis CAROLI FRIDERICI, illo tempore Tutor,
 et terrarum cimbricarum Dux vicarius, de conferenda illi Professoris matheſeos munere per liberum Baronem a GOERZ, in sanctiori ſenatu adminiſtrum, voluntatem ſuam illi ſignificafset, noſter non potuit quin Principi et Patri morem gerens, relictō, haud ſine quodam animi moerore, Berolino, patriam peteret vrbem. Rescriperat nimirum, iubente Princeps quem nominauimus regiminis administer, noſtrum ſtatiſ ex quo ordinarii mathematatum Professoris locus vacaret, in eundem ſuccellurum eſſe, vsque dum vero id contingere, accepto annuo ſtipendio, litterarum ſtudioſis in Academia Cimbrica matheſin tradere debere. Digna ſane erat oblata honorifica iſtiuſmodi prouincia, que noſtrum impelleret, vt non obſtantibus illis quibus Berolini gaudere datum erat emolumentis, redux in patriam fierit. Neque pietas Principi et Parenti debita recuſationem ferre videbatur. Redux igitur factus eſt. Verum res ex voto non ſucessit. Quae enim omnes Cimbriae regiones eo tempore misere afflixerant triftia et horrida bella, adhucdum omnia ita perturbauerant, vt, neque quae illi promiſſa erat attributa penſio illi ſolueretur, neque mortuo Samuele Reyhero, Mathematum P. P. O. eiusdem locum occupare posſet. Evidem qui iuſſu Princeps Berolino huc euocatus erat, et de cuius eruditione tam extororum teſtimoniis, quam publicato MDCCXV ſcripto de *Analyst aequationum differentialium*, ſatis conſtabat, deſignatus erat Mathematum P. P. O. a Reuerendissimo et Sereniffimo Princeps, Anno MDCCXVI ſed nondum datae erant litterae Princepis ſollemniter hanc prouinciam illi de-
cernen,

cernentes. Quibus deficientibus factum est ut per complures annos, licet priuata opera studiosam iuuentutem dōcendo Academiae utilissimus esset, tamen dōctoribus ordinariis non adscriberetur. Enata hinc varia incommoda ingentem in modum aucta sunt secuta Anno MDCCXVI morte Carissimi Parentis. Orbata enim decore suo familia molestiis plurimis tantum non oppressa nec nostro meritum auxilium ferre, nec is quae voluit illi solamina p̄aeberere potuit. Iteratis itaque saepius imo saepissime precibus, et missis permultis ad aulam et aulae proceres litteris supplicibus, cum non efficere posset ut, quod summo iure exspectare poterat, ipsi tribuatur, coepro consilio pene desperato Martis castra sequendi Rendsburgum se contulit, munitum illud Danorum oppidum quod quatuor tantum milliaribus a Kilia distat Anno MDCCXIX. Narravit hoc amico, cui tamen addidit persuasum fuisse se mox ultra gregarii militis conditionem ascensurum esse. Sed felicior fuit itineris huius quam sperauerat euentus. Ipsa enim vespera eius diei quo aduenit, praefecti quidam militum qui in diuersorio quo noster commorabatur conuenire solebant, extra neum eum vident, et, ut fieri solet, de variis rebus sermones cum eo ferere incipiunt. Contigit ut sermocinando in res quasdam deuenirent quae ad mathesin, praeципue ad architecturam militarem et Pyrotechniam pertinent. De quibus noster tam belle, tamque solide disputauit ut facile praefectorum illorum animos caperet. Quo facto nostro sua sponte honestissimas proposuerunt conditions, quibus acceptis Rendsburgi persistere posset. Paciscedam nimirum erat cum supremis et reliquis rei tormenta-

riae

riae et architecturae militaris praefectis, ita quidem ut no-
 ster, acceptis quolibet mense viginti nummis vncialibus,
 statis quo quis die horis gregarios milites, aliis autem horis
 ipsas praefectos, quicquid ex omni re mathematica, instituto
 eorundem inseruire poterat, doceret. Vix erat quod vot-
 is b. kosii magis respondere poterat, quam haec aliis
 et sibi inseruendi occasio. Quapropter, ea quam diximus
 ratione, cum supremis belli ducibus et reliquis praefectis
 pactus est. Haec erant prima eius fata Rendsburgensia,
 quae, pariter ac ante a duentu Berolinensi narrauimus.
 ANTISTHENEM naufragum in memoriam reuocabant.
 Namque et hic in primo quod cum praefectis illis in diuer-
 forio ipsi fuerat colloquio, se vestigia hominum inuenisse
 adeoque bono animo fuisse dicere solebat. Mox igitur Ki-
 lonium, et dehinc, rebus quibusdam domesticis in ordinem
 redactis, Rendsburgum reuersus est, Anno nimirum
 MDCCXIX. Laetus semper temporis quod ibidem mili-
 tum doctor constitutus exegit, recordari solebat. Nam-
 que et labores grati erant, et ratio cum militibus versandi
 vehementer illi placuit, et laborum felicissimo gauisus est
 euentu. Milites amabat ob candorem animi quem maxime
 in iisdem deprehendere putabat, et ob fugam tam omnis,
 qua nihil odiosius est, affectationis, quam fastus illius quo
 doctores umbratici eos saepe despiciunt quos doctrina infe-
 riores existimant. Honesta praeterea eorum illi placuit co-
 mitas, verborum et urbanitatis luxuriam respuens. Ita-
 que quando hos rei militaris praefectos docebat, et de rebus
 quibusdam disputabat, quarum illis experientia melior erat
 notitia quam nostro, adeoque illi nostro interdum candide
 fateban-

fatebantur, non hoc esse quod scire ex illo cuperent, sed aliud quoddam quod ei significabant, cum prius illi rectius nostro, posterius noster rectius illis intelligere posset, tantum abest ut hoc aegre tulerit, vt potius hoc ipsum gratissimum sibi fuisse saepius postea amicis confessus sit. Et hac quidem ratione docendi, quae ab academicâ nostra cui nimium saepe ex triuio adhaeret, multum differt, factum est ut amplissimos in mathesi progressus fecerint quos ita docuit praefecti. Non enim prima solum initia erant mathematicos, in quibus cum illis versabatur, sed ad altiora etiam animum applicuerunt, qui ipsam Analyzin sublimiorem tractabant. Nam eousque profecerunt, ut Calculi differentialis atque integralis rationes noster illis exponere, et utriusque in variis negotiis, ad rem praeципue militarem et tormentariam spectantibus, ysum ostendere posset. Pari modo etiam gregarii milites satis bonam pro captu eorumdem sibi acquisierunt rerum mathematicarum notitiam, atque vel inter illos noster lubens et non sine fructu versatus est. Et, quod magnis ingenii proprium esse solet, ut minima etiam quae forsan se se illis obiiciunt, obseruent, et meditatione contemplari studeant, hoc nostro tum alibi tum etiam hic vñtratum fuisse nouimus. Hinc cum aliquando gregariis quibusdam militibus, ex illis qui rei tormentariae causa constituti sunt, inter se colloquentibus Archimedis regulam audiret allegari, miratus carum atque celebre Mathematicis Archimedes nomen, etiam inter vulgus militum celebrati, quae siuit ex illis: vtrum noscent quis fuerit ille Archimedes ad cuius regulam prouocarent? Cui cum milites responderent: hoc quidem ipsis non satis

D

explo.

exploratum esse, fuisse autem, ex eorum opinione, Archimedem magnum aliquem Chiliarcham aut alium rei tormentariae praefectum, noster rursus quaesuit ex illis: num etiam Alexandrum Magnum, Iulium Caesarem et Tamerlanum nossent? Quo facto, vnum et alter quidem militum se nomina haec forte auditu percepisse affirmabat, alioquin autem se nihil de his scire omnes dixerunt. Quod ad veram gloriam noster applicare solebat. Sic igitur exacto biennio plus forsan temporis ibidem exegisset, nisi munus Professoris Mathematum in hac ipsa Academia obtinendum, de quo prope iam desperauerat, nunc vltro fere fese illi obtulisset. Ineunte enim Anno MDCCXXI nonnulli amicorum Kiloniensium GVLIELMVS HVLDERICVS WALDSCHMIDT, SEBASTIANVS KORTHOLTVS, et PAVLVS FRIDERICVS OPITIVS, spem nouam illi ostendunt muneris consequendi, MVHLII praeципue ope, quo auspice omnia tum fere academie negotia agebantur. Quilibet eorum operam suam, curam, studia omnia offert. Ipsi demum in sanctiori senatu Administri, CLAVSENHEIMIVS et BASSEWIZIVS, de felicissimo quem sperant euentu prescribunt. Imo vltimus horum datis ad nostrum litteris d. XXX Martii anni MDCCXXI certioreum eum reddit, iam exstare litteras Principis hoc munus illi decernentes, adeoque ut mox Kilonium adeat, monet. Venit itaque Kilonium, atque die XIV Iuli in Auditorio maiori orationem habuit inaugurem qua Cimbriam mathematicam pandit, de Cimbrorum in mathefin meritis sermonem faciens, testante hoc programmata Pro-Rectoris huius sollemnitatis causa publice proposito. Ipse etiam publicauit die XXIV

Augusti

Augusti programma quo lectiones suas, cosmo-geographicas praecepue, indixit sequenti die inchoandas. Annis, redditibus quidem usus est, sub auspiciis munieris, non nimis lautis, ducentis nimirum nummis vncialibus. Anno MDCCXXVII annui stipendii augmentum quinquaginta nummorum vncialium obtinuit, eodemque usus est usque dum, post annos plus quam viginti, trecentorum nummorum vncialium annum stipendum illi decretum est. Hoc quidem contentus erat, neque decedente B. KORTHOLTO Academiae Seniore et philosophorum Ordinis Professore primario, centrum illos nummos vnciales annuos sibi dari postulauit, qui alioquin, praeter consuetum stipendum, illi solui solent qui eo quem diximus loco constitutus est.

Acceptit autem hanc spartam non quod vita academica illi praecepue placeret, sed eam potissimum ob caussam quoniam familiae, bellorum turbis tantum non oppressae, hac ratione optime se succurrere posse putabat. Quam enim Professores Kilonienses habent tributorum immunitatem, hanc familiae domum Kiliae habenti, pro qua alioquin in annos singulos vestigial pendere tenebatur, utilissimam esse recte iudicauit. Quam autem acceperat Professoris Mathematicum prouinciam, eam egregie ornauit, cum nulla huius muneris pars sit cui ille non optime satisficerit. Nam assidue docebat et perspicue et fideliter. Neque lucri caussa docuit, sed more antiquissimorum Philosophorum, vel absque omni, vel saltim accepto admodum paruo didactro, praesertim si erectioris ingenii iuvenes eius institutioni se commisissent. Imo ex omnibus, quas, pro ratione munieris, docendis scientiis dicauit horis, gratissimam sibi esse

D 2

dixit

dixit eam quae publicis laboribus destinata erat. Hanc enim eam esse pro qua ab ipso Principe solutionem accipere. Praeterea iuvenes exercebat ad omnem rem mathematicam, quando vel Arithmeticam tradens calculi ratios propositis soluendis quaestionibus utilissimis, v.g. quae ad interusurium spectant, ostendit, vel geometriae praecepta institutis in agro geodaeticis exercitiis in usus conuertere studuit, vel Astronomiam docens tam siderum notitia auditores instruxit, quam solis aut lunae defec-
 tus cum illis obseruavit, vel denique gnomonicae, aut alterius cuiusdam matheſeos partis regulas, exercitiis institutis utiliores reddidit. Neque raro solum sed saepissime hisce exercitiis vacabat, qui e. c. geodaeticis exercitiis operam nauare solebat a medio circiter mense Augusto, ad medium vsque Nouembrem ita ut singulis Mercurii et Saturni diebus omnes, a secunda post meridiem, horas pomeridianas, nulla habita ratione tempeſtatis, iisdem laboribus dicaret. Peractis vero illis saepius vna cum auditoribus, in aedibus agris in quibus exercitia ista fiebant adiacentibus, potu Thee et coena frugali recreari non deditatus est. Atque hi quidem conuentus utilissimi erant iuuenibus litterarum studiosis. Nam sic de variis rebus vel ad eruditionem, vel ad mores exterarum gentium, vel denique ad ipsam virtutem spectantibus differens effecit ut quo iucundior erat omnis eius narratio, eo facilius memoriae mandari posset. Quo facto, quasi aliud agendo, doctoris muneri magis forsitan satisfecit quam alii multi qui data opera id efficere student. Tandem et scriptis, et habitis disputationibus publicis, et suscepto saepius magistratu aca-
 demico

demico, et consiliis, et quacunque demum potuit ratione,
Academiae prodesse studuit. Neque vero vrbis tantum
et academiae finibus continebatur fama ipsius, sed inter
exterios etiam celebrata erat. Itaque et ab eruditis saepe
consulebatur, in rebus non ad mathesin solum verum etiam
ad omnem rem litterariam referendis, et a supremis belli
Ducibus Augustissimi Danorum regis, in iis potissimum ne-
gotiis quae ad rem tormentariam et architecturam milita-
rem pertinent, quorsum spectant litterae, quibus nostro
problema proponitur: inuenire centrum grauitatis tormen-
ti bellici, anteaquam scilicet illud conditum sit, cuius ille
varias exhibuit solutiones, rationem ostendens inueniendi
centrum grauitatis curti coni caui. Pariter variae contro-
versiae arithmeticae, mechanicae aliaeque ad vsum vitae
civilis spectantes, eius decisioni a partibus litigantibus com-
missae sunt. Imo qui supremi harum terrarum regiminis
curam gerunt Viri illustrissimi, eius interdum opera et con-
filio vii sunt in variis negotiis quae, vel geometriae vel ar-
chitecturae ope, aut conficienda aut diiudicanda erant.

Igitur magna fuit et assidua qua varii generis labori-
bus vacabat diligentia, eaque ad declinantem vsque aetatem
valerudine satis prospera sustentata. Quanquam enim va-
riis iisque grauioribus quibusdam incommodis interdumi
vexabatur, arthriticis praecipue doloribus obnoxius, insul-
tus tamen morbi tantum erant per interualla aduenientes
atque abeuntes, quos temperantia magis, quam medicorum
subsidiis vincere studuit. Licet enim praestantissimam
hanc scientiam haudquaquam contemneret, imo quod ad
rationalem eius partem, notitiam quandam eiusdem sibi

comparasset, et consilia medicorum lubenter audiret, noluit
tamen se alicuius curae penitus committere, naturae potius
ipsius auxilium requirens. Atque in grauioribus quos inter-
dum passus est morbi insultibus, colloquiis cum amicis ani-
mum recreare, et somni quiete priuatus, repetitione historiae
synchronistica, ac demonstrationum Euclidis, quae maxime
ili familiares erant, recordatione, taedium solitudinis atque
agrypniae propulsare, imo ipsum mali sensum quodammodo
imminuere solebat. Verum aliquot ante obitum annis
inclinantem in deterius valetudinem animaduertit. Nam
arthritici affectus id praecipue effecerunt ut pedes officium
recte facere non possent. Quare rarius in publicum pro-
diit, et ultimis quatuor annis bis tantum. Semel quidem
Anno MDCCCLXIII cum Celsissimo Duci GEORGIO LV-
DOWICO, terrarum Cimbricarum tum Administratori et
Duci vicario, fides, stipulata manu, homagi loco, pro-
mittenda esset. Alio autem tempore, eodem ni fallimur
anno, adiit illustrem atque doctissimum ACKERMANNVM,
quem amicum et collegam coniunctissimum magni fecit.
Quanta autem fuerit corporis imbecillitas, tanta tamen
non fuit ut animi vires vincere potuerit. Omnes enim ad
extremum usque virae halitum integras seruauit. Tanta
erat memoriae vis ut in ultima senectute integra veterum
scriptorum loca, quae iuuenili aetate legisset, recitare va-
leret. Tantus ingenii et iudicii vigor ut difficillimis quaes-
tionibus analyticis soluendis satis ideoneus esset. Imo
oculorum acie tanta semper ysus est ut vel vespertino tem-
pore, candela iam incensa, libros quoscunque typis exscri-
ptos minutissimis legere posset. Solus aurium sensus inter-
dum

dum, attamen per interualla tantum, hebes erat. Quare
ne ingrauescente quidem morbo a statione sua discedere
voluit, auditorum, vbi per morbi inducias licuit, spes ac
vota impleturus. Lubenter eriam et saepe cum amicis col-
locutus est. Aestas autem anni praeteriti fatalis illi admo-
dum fuit. Amisit enim vtramque quae haetenus vna cum
eodem habitauerant sororum, et paulo post tertiam B. Do-
mini LANGEIAHN viduam, quae mortuis sororibus, ex
Dithmarsia Kilonium veniens, mox post aduentum obiit.
Ipse tamen non obstante luctu domestico, quo valde affli-
ctus erat, satis bene valuit, ita quidem ut amicis spem,
quam de sanitate restituenda foueret, cum quodam laetitia
sensu, significauerit. Quamvis enim confiteretur se sum-
mam Numinis agnoscere clementiam quae ad tantum usque
aetatis fastigium eum seruasset, ita ut ne minimam quidem
vitae productionem sibi efflagitandam censeret, haud ta-
men negauit aliquod sibi vitae desiderium superesse. Ve-
rum, praeter opinionem, vehementior morbus illum lecto
affigebat, circa medium Mensis Septembris, cuius tanta
erat peruicacia ut corporis vires perquam decrescerent.
Interim tamen saepe confabulationibus, cum morbus ali-
quantum remitteret, detinebat amicos lecto assidentes, non
nunquam iocos, ut erat cum grauitate facetus, immiscebat.
Imo quinque ante mortem diebus de variis rebus mathema-
ticis cum amico agens, tanto cum vigore locutus est, ut
is, qui grauioribus morbi insultibus oppressum eum antea
saepius vidisset, spem conciperet de sanitate mox restituendā.
Ipse praeterea non omnem spem salutis deposituit, qui
amicum rogauit, ut quando Reuerendissimum et Serenissi-

mum

mum Principem Episcopum Lubecensem venerari illi licet, tum simul eidem significaret maximo se flagrare desiderio Celsissimum Principem, qui summa semper illuminatum habuisset clementia, semel adhuc ante obitum vindredi, eique pietatem suam et reuerentiam testandi, praeceps autem optare ut serenissimum eius Principem iuuentutis videat, quem tam initii matheseos, quam, quod in Principum Filiis praecipue aestimabat, fundamentorum latinæ linguae notitia, optime, pro tenera aetate, imbutum audiuerat. Verum aliud fuit in fatis. Mox enim cum diarrhoea ipsi conflictandum fuit, quae viscerum debilitatem arguebat, et quam prunorum esu, (valde enim amabat fructus arborum,) sibi forsitan contraxerat. Huic quidem malo medelam afferre voluit potionem vini rubri. At infelici successu. Nam secuta est alui obstruacio magna que virium deieccio, et mali violentia insigniter austra, ita ut ipse die XXV Septembris ante meridiem illi quae praesens erat virginis ex forore nepti dixerit, instantem sibi putare, hoc ipso momento, mortem. Meridie tamen paullulum cibi sumsis, atque tum somno aliquantulum recreatus iussit lectum sterni si hora post meridiem quarta audita esset, imo de coenula instruenda mandata dedit. Quae siuit etiam quota hora audita esset, et horologium sibi ostendijussit cuius singulos adhuc numeros yisu distinguere poterat. Deinceps frigidam poposcit, eaque aliquoties hausta, nunc, air, paululum obdormiam. Obdormiuit etiam et quietuit, in lecto ad parietem conuersus, et circa quintam et dimidiam horam vespertinam placide exspirauit. Funus post aliquod dies Bordesholmiam elatum, et in conditorio familie compositum est.

Sic

Sic igitur mortalitatis exuias depositus Venerandus Senex, quem familia, quem amici, quem academia, quem exteri etiam dolent erudit. Sed viuit adhuc atque internos versatur, scriptis, multisque in genus humanum, praeferunt autem in patriam et academiam, collatis beneficiis superestes. Quod ut luculentius pateat tam scripta Viri, quam omnem animi vitaeque rationem vobis, Ciues Carissimi, enarrabimus.

Scripsit autem haud pauca, tam per occasiones academicas, quam alia ratione publicata. Et separatim quidem nonnulla edidit, alia autem Ephemeridibus litterariis inseruit.

Illa, (praeter orationem quam supra enarraimus habita natali principis die MDCCV, iuvenile opusculum,) sunt quae sequuntur:

- 1) De Analyti Aequationum Differentialium, vel expendienda in numeris yniuersalibus, vel constructionibus Geometricis effienda, commentatio. Ad delineandam vt cunque Solutionem Quaestionum Mathematicarum, quae Scientiam Finiti superant. Kilonii 1715. in 4. Plag. 11, cum tab. aeri incisa.
- 2) De ratione perficiendi Geographiam mathematicam. (Programma quo lectiones indixit.) MDCCXXI. 4. Plagula ynica.
- 3) De periodica anni solaris intercalatione. Disputatio habita secundum constitutionem Fridericianam, Respondente Io. Andrea Harprechto, d. XII Jul. MDCCXXIV. Plag. 5.

E

4) De

- 4) De Matheſi prudenter tractanda, Disputatio habita ſecundum Constitutionem Fridericianam, Reſpondente Christiano Kortholto, d. XXII Martii Anno MDCCXXVII. in 4. Plag. 5.
- 5) Commentatio de Situ loci geographici diuersis modis determinando, et trigonometricis praeceptis eo per tinentibus. (Disputatione publica defenſa a Carolo Friderico Richardi, deinceps ea quam diximus in ſcriptione publicata.) Kilonii MDCCXLVI. in 4. Plag. 4. cum tab. aeris incifa.
- 6) Chronologiae Historicae Subſidia Mathematica. Kilonii MDCCXLVIII. in 4. Plag. 10.
- 7) Commentatio de Superficiebus Geometricis earumque generibus, proprietatibus, complanationibus et ſectionibus. Kilonii MDCCXLIX. in 4. Plag. 5. et dimid. cum tab. aeris incifa.
- 8) Commentatio de corporibus diſſimilaribus et praecipue quantitatibus quae illis accidunt. Kilonii. in 4. Plag. 8. cum tab. aeris incifa.

Gallica praeterea lingua quasdam conſcripſit commentatio-nes, quarum in commentariis quibus *Bibliotheca Germanica* nomen eſt exſtant:

- 1) Tomo XI. Discours fur les Eclipses Extraordinaires du ſoleil, et de la Lune, par F. K.
- 2) Tomo XVI. Reflexions fur le Calendrier en general, et fur l'Intercalation de l'année Solaire en particulier, par F. K.
- 3) Tomo

- 3) Tomo XVII. Methode particuliere de trouver les latitudes en Geographic, par F. K.
- 4) Tomo L. Essai sur la maniere de determiner l'intervalle du tem ecoulé depuis la sortie des Israélites d'Egypte jusqu'à la fondation du Temple de Salomon.
Par F. K.

Variae praeterea exstant librorum recensiones, quas eidem Bibliothecae Germanicae inseruit.

In *Actis Eruditorum Lipsiensibus* exflat: F. K. ratio complanandi superficies curuas corporum quorumlibet geometricorum.

Varia forsan alia ephemeridibus litterariis inserta esse possunt, quibus neque nomen, neque, quod alioquin facere consueuerat, initiales nominis litteras praefixit. Plurima autem eius exstant manu exarata scripta. Ut enim nihil dicamus de magno aduersariorum eorumque quae notauit numero, multas reliquit orationes habitas quando fasces Academiae vel susciperet vel deponeret, res sane pertraetantes haud vulgares. Peculiares etiam quasdam tam physicis quam mathematicas commentationes, quas in lucem mox forsan prodire iussisset, nisi morte impeditus fuisset.

Ex his ingenii monumentis quanta fuerit Viri doctrina satis intelligitur. Sed accuratius adumbranda est eius imago, ut non ingenii tantum et doctrinae, verum etiam virtutis et morum rationem habeamus, atque ita pulchriorem eius vitae partem exhibeamus.

E 2

Atqui

Atqui ut primum de statura aliquid dicamus, corpore erat haud quidem procero, sed ad iustam tamen viri magnitudinem assurgente. Gravitatem quidem fronte atque facie ostendit qualis in antiquis quibusdam Philosophis observatur, quorum imagines in nummis, lapidibus aliisque monumentis occurunt. Haec tamen non impedire potuit quominus vultu vsus sit iucundo, venusto, atque sereno. Corporis autem robur in sene fregerunt frequentes arthritici insultus, cum alias, licet ab omni diaetae errore haudquam immunis, temperantia tam malum debilius reddere, quam vires firmas seruare studuerit. Cibum capere solebat, si ultimos excipias vitae annos, non nisi esuriens, semel tantum quoquis die, et ut plurimum vespertino tempore. Vacans enim tantum a studiis famem sentire videbatur Abstinentia autem a cibis, ieiuniis, multaque diaeta sese praeparare solebat, quando in res maioris momenti inquirere vellent. Atque tum quidem saepius illucescente die in campos aut silvas vrbi adiacentes solus studiorum caussa concessit, vrbis strepitum fugiens. Somni parcissimus erat, qui sex horas dormire nefas putabat, cum hac ratione quarta pars vitae humanae somno consumeretur. Hinc patet qui fieri potuit ut tot tantisque studiis iisque non obiter tantum, sed summa cura atque opera singulis vacauerit. Erat enim multarum linguarum peritus qui praeter elegantem latinam, magnam etiam graecae linguae, et quandam hebraicam habuit notitiam, atque praeterea gallicam, anglicam, italicam, imo suecicam linguam tenuit. Atque ut nihil de primariis eius studiis, mathematicis nimirum dicamus, de quibus ex scriptis fatis constat, Theologiae peritus

ritus erat, historiae, rei nummariæ, antiquitatum, artis pictoriae, multarumque aliarum artium, præcipue autem eloquentiae et elegantiorum litterarum. Vastissima illi erat lectionis copia. Graecos enim auctores veteres Philosophos, Oratores, Poëtas, Mathematicos, Historicos omnes legerat, pariter ac latinos optimos quoscumque scriptores. Recentiorum autem lectioni quantum temporis impenderit testantur excerpta et annotata varia quae summo studio collegit. Erat illi, quod de auunculo narrat PLINIVS iunior, acre ingenium, incredibile studium, summa vigilancia. Historiae litterariae causa, praeter ea quae in adversaria reculit, multa schedulis inscripsit quae ad notitiam librorum spectant, hasque schedulas in fronte libri cuiusdam, eiusdem cum annotatis argumenti, collocauit. Suppellex libraria exigua erat si numerum spectas, si ipsos libros optimam et selectam. Erant enim illi præstantissima recentiorum præcipue mathematicorum scripta, aliaque nonnulla quae ad ornamenta Bibliothecarum recte referuntur. Singulari autem prorsus ordine libri dispositi et collocati erant. Quidam enim ad manus erant in cubiculo, veluti Lexica omnium quas nouit linguarum, PLINII historia naturalis, PETAVII rationarium temporum, CALVISII opus chronologicum; aliaque nonnulla. Alterum genus erat eorum quibus, licet inter manuales referendos non esse censeret, tamen saepissime vtebatur. Hos in scripiis ante cubiculum posuit. Reliquos tandem in conclavi edito seruabat. Hos, per iocum, a loco, qui in superiori aedium parte, et sub recto erat, summum suum bonum vocare solebat. In docendo perspicuus erat, populari magis oratione.

ne vtens, quam ornata, quoniam illam iuuenum institutioni
 magis conducere arbitrabatur. Instabat autem discentibus
 assidue percunctando vsque dum sententiam ritè percepisse
 sentiret. Docendi rationem non modo ad scientiam refe-
 rebat, sed etiam ad virtutem et sapientiam, quas auditori-
 bus maxime commendabat. Lubentius tamen in sublimio-
 ribus partibus, quam in primis docendis initii versatus est,
 Imo in primis illis initii, atque vulgaribus studiis magnas
 inuenit interdum difficultates. Quod illi quidem sense-
 runt, qui vel in agris geometriam practicam excercentem,
 vel etiam vulgari ratione computantem eum viderunt.
 Omnia enim lente admodum et difficulter processerunt,
 imo eiusmodi errores saepius commisit, quos vulgus Geo-
 metrarum et Arithmeticorum haud facile commitit. Con-
 tra autem quando analysi mathematica vtebatur, vel alia
 quaedam quae ad sublimiora pertinent pertractabat, omnia
 illi ex voto successerunt, neque ullam tum deprehendit
 difficultatem. Ut prorsus admirabile sit quae aliis facillima
 illi difficillima fuisse, atque vt idem de nostro dicendum sit,
 quod, alio tamen sensu, de se ipso LEIBNITIVS dixisse
 fertur, antipodem fuisse eruditorum vulgarium qui ibi
 difficultates maximas videbat, vbi illi nihil viderent diffi-
 cultatis. Praeterea autem licet omnibus, qui eius operam
 desiderabant, litterarum studiosis promtum se atque facilem
 praebiceret, eos tamen praecipue amauit quibus ingenium
 natura

natura dederat excellentius, et quorum constantem esse amorem litterarum deprehendit. Quare quando interdum continget, ut, de re quadam erudita, auditores illum interrogarent, statim non respondit, sed saepe frustra vnam eandemque rem ex se quaeri passus est, usque dum continuo interrogantium studio vinceretur, imitatus veteres philosophos, qui, non nisi multis vexationibus multisque molestiis superatis, discipulos ad intima veritatis adyta admittere solebant. Scilicet hoc modo noster vtrum serua an vana sciendi cupido sit, explorauit.

Sed ad mores veniamus B. KOSII atque a pietate eius et religionis reverentia initium faciamus. Haec summa erat omnisque fraudis et fuci expers. Etenim quicquid boni habuit id ad DEV M. retulit, grataque mente agnouit summam Numinis clementiam. De DEO etiam et religione non reue-rerent solum, verum etiam cum vehementia quadam locutus est, eosque communes generis humani hostes habuit qui vel religionem nobis eripere, vel sanctitatem eius labefactare temerario ausu conantur. Atheos insanire dixit. Quos vernacula lingua Frey-Geister appellamus eos potissimum esse censuit, qui maligno sunt animo, illos autem qui sermonum licentia sacra violent nisi malignos, stultos saltim esse contendit. Ipsam CHRISTI religionem summa veneratione summaque pietate prosequebatur, morum praecepta quae haec religio

religio tradit optima atque praefantissima putans, atque
 ut actiones suas secundum illa componat operam nauans
 indefessam. Sacri autem codicis tanta tamque iterata erat
 lectio, ut quaecunque in eodem continentur optime tene-
 ret. Imo quouis Saturni die quasdam post meridiem ho-
 ras lectioni codicis hebraei in ipsa senectute dicare con-
 sueuerat. Prouidam diuini numinis curam pie veneraba-
 tur, atque quicquid mali hominibus accidit, hoc ipsis sua
 plerumque culpa contingere iudicabat, adeo ut nunquam
 DEVM auctorem mali facere voluerit, qui potius gaude-
 bat dummodo sibi liceret caussam infortunii in semetipso
 reperire in posterum facilius euitandam. Quam ob cau-
 sam versus saepius in memoriam reuocabat, quibus apud
 HOMERV M (*) Jupiter in Deorum concilio immortales
 assatur, et latine redditi sunt quae sequuntur:

Papae ut scilicet deos mortales culpant.

Ex nobis enim inquiunt mala esse, qui vero ipsi

Suis stultiis præter fatum angores patiuntur.

Patriam et Principem amavit. Pauperibus beneficium se
 praebuit, non quidem paruas istas eleemosynas stipem peten-
 tibus larga manu profundens, sed ita boni aliquid in illis con-
 ferens, ut de utilitate efficienda satis constaret. Tertio, ni fal-
 limur, ante obitum anno quingentos nummos vñiales Magi-
 stratui

(*) Odyss. I.

stratui ciuico Kiloniensi dedit ea lege ut quamdiu superstes
esset, quatuor nummorum vncialium, pro singulis centum,
vsura annua illi solueretur, (oblatos enim quinque accipe-
re noluit) post obitum autem ipsius pauperibus cedant
quingenti isti nummi vnciales. Atque cum in chirographo
Amplissimus Senatus scripsisset, hanc pecuniae summam post
nostris ex vita excessum orphanis, qui publicis sumtibus
aluntur, tribuendam esse, negauit hoc sibi placere, cum
qui publicis sumtibus aluntur infantes, educatione sollerti
destituti, nequissimi saepe fieri soleant. Quare hoc mutari
iussit, atque pecuniam quam diximus pauperibus assignari
inopia pressis, senio confectis, aegrotis, iisque qui nullo
labore quae ad victimum requiruntur comparare possunt.
Vir erat humanissimus et officiosissimus, omnibus talem se
praebens, vitae genus sequens nec solitarium prorsus aut
obscurum, nec assidua et promiscua cum aliis consuetudine
occupatum aut distractum. Rei familiaris curam optime
gessit, ita ut haud exiguum bonorum parrem acquisuerit.
Hereditatem enim parentum nunquam accepit sed sorori-
bus reliquit. Neque tamen amplis redditibus gauisus est.
Quapropter mirum forsitan videri posset, quo pacto ea quae
re vera possedit bona acquisuerit, nisi summa frugalitas et
ab omni luxu abstinentia id facile explicarent. Quamuis
enim munditiem amabat a luxu tamen maxime alienus erat.
Curta itaque erat supellex domestica. Eorum quae ad

F

osten-

ostentationem spectant nihil, quae ad commodum vitae genus pertinent pauca, sola fere quae necessaria sunt sibi comparauit. Illud autem magis forsan mirum videbitur, ipsum Philosophum grauissimis semper occupatum meditationibus, adeo res domesticas curasse ut quoquis die ipse de prandio aut coena instruenda mandata dederit. Molliorius sexus aduersarius falso habitus est. Quod enim vxorem non duxerit id eam ob caussam factum est, quoniam sedem in patria fixam sibi esse noluit, qui de mutando domicilio nonnunquam cogitauit. In sermonibus et virae consuetudine iocosus, saepe festiuus, ad satyram pronus, attico sale sermones nunquam non inspersit, comis autem et humanus. Incredibili flagrabat aliis inferuendi desiderio, nullique labori pepert dummodo hunc scopum obtinere posset. Atque ut omnia quae ad laudes ipsius spectant uno verbo complectamur, nemo forsan recentiorum **SOCRATEM** melius expressit, summum antiquitatis Philosophum. Si enim docendi genus spectas, dialogos amavit et confabulationes cum auditoribus et amicis, eadem saepe, qua **SOCRATES** inductione et ironia vtens. Si vitam consideras, haec tota erat occupata in promouendis litterarum studiis, in augenda sapientia et virtute, in promouenda felicitate generis humani. Si ad **SOCRATIS** deinde morem respicis, omne studium mere contemplatum reiiciendi, noster idem prorsus exoptauit, praxin ubique

vbiue quaerens, adeo ut, quod morum disciplinae tribui solet, philosophiae practicae nomen, admittere noluerit, laudabili metu commotus, inde aliquid damni imminere reliquis scientiis quorum quaelibet practica esse debet.

Videtis igitur CIVES CARISSIMI, qualis quantusque Vir fuerit beatus KOSIVS, et quanto iure nos eius memoriā Vobis commendamus. Agite igitur atque pulcherri-
mum hoc quod vobis proponimus exemplar factis, ver-
bis, omni denique studio exprimere studete, viam hac ra-
tione vobis metipis parantes ad gloriam veram, veramque
illam quae solis meritis quaeritur immortalitatem. Neque
enim praestantius vnuquam quam id quod exposuimus ex-
emplum vobis contingere posse putamus.

P.P. sub sigillo Academiae. Mense Septemb. MDCCCLXVII.



Nr 113.
S 80



n. 5.





22.

PRORECTOR
ET
SENATVS
ACADEMIAE CHRISTIANO-ALBERTINAE
MEMORIAM
VIRI AMPLISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI DOCTISSIMI
FRIDERICI KOSII
MATHEMATVM IN HAC ACADEMIA PER DIMIDIVM
FERE SECVL SPATIVM P. P. O.
VENERANDI ACADEMIAE SENIORIS,
DE PATRIA, ACADEMIA, ET OMNI RE LITTERARIA
IMMORTALITER MERITI,
S V M M I V I R I ,
C I V I B V S S V I S
DILIGENTISSIME COMMENDANT.

K I L O N I I
LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

